

cogitat homo de diuitiis acquirendis, quam de peccatis extirpandis, vt suam conscientiam munda- ac purificet. Vide cap. 28. n. 8. 9. & 10.

65. Chrysof.

Tertio. D. Chrysofomus homil. 69. Ecce interficiamus eum. Cur obsecro? An quia nimirum vos Deus honorauit? An, quia peccata dimittebat? An, quia in regnum vocabat? Tu autem ad impietatem, magnamque dementiam accedere, & necis causam insaniam plenam esse considera. Quæ enim maior insania potuit excogitari, quam insurgere in filium Dei, ea tantum ratione, quod esset hæres vineæ, inde enim potius videbatur sequi, vt toto obsequio eum exciperent, quam vt occiderent? Quid enim stultius, quam velle occidere Deum, vt Dei bona possiderent? Enimvero cum Deus sit omnium bonorum fons, nihil boni sine eo, aut acquiri, aut possideri potest. Deinde, quæ maior insania esse potest, quam ob beneficia insurgere in benefactorem? Vide cap. 36. n. 24.

66. August.

Occidunt vt possideant, & ideo perdunt.

Quarto. D. Augustin. serm. 59. de Verbis Domini. In contrarium, ait, Deus vertit malum consilium, vt possiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdidit. Occiderunt agricolæ nempe Iudæi filium, ac hæredem Domini sui, vt illius hæreditatem, ac vineam haberent; sed quia occiderunt, vineam perdidit; ipsi scilicet Iudæi expulsi sunt à Dei vinea, ac grege. Vide supra cap. 36. q. 8. n. 39. 40. 41. 42. 43.

67.

Psal. 34.

Hugo.

Ex beneficiis armantur homines in benefactore.

Quinto. Cur tam crudeli manu hi homines armantur in filium Domini sui, ac in vineam hæredem, quia venerat, non vt illis penam infligeret, sed veniam concederet, & quæ maior ingratitude, quam ex beneficiis acceptis aduersus tuum benefactorem insurgere? hanc hominum naturam considerans Regius vates dicebat ad Dominum. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me; apprehende arma, & scutum; & exurge in adiutorium mihi. Psal. 34. n. 2. Subtiliter hæc verba commentans Cardinalis Hugo interpretatur: Apprehende arma ad expugnandum, & scutum ad sustinendum. Per arma intelligit diuina beneficia, quibus Deus humanum cor expugnat, deuincit, ac subiicit; & ad sui amorem, ac gratitudinem quodammodo cogit, ad quid ergo deinde assumit scutum; vt se veluti clypeet, ac patienter sustineat hominum ingratitude, ac similitam eorum correspondentiam pro tot donis tanta benigne impensa. Sic ait Hugo citatus. Hæc arma apprehendit Dominus ad deuincendam malitiam hominum, quando solem suum facit oriri non solum super bonos, sed etiam super malos, & bona sua indignis peccatoribus etiam largitur, vt sic eos occurrat, sed quia hæc etiam non ad peritiam sed ad luxum conuertunt: & vnde debebant ad Dominum conuerti, inde eum peccando persequuntur per superbiam, & luxuriam; ideo ne Dominus indignetur, rogat vt patienter sustineat, addens hic & Scutum: mansuetudinis, & patientie ad sustinendum eorum infestationes. Vide cap. 12.

Matth. 21. n. 40. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

Num. 41. Aiuunt illi: malos male perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

VERSIONES.

Syriac. n. 40. Quid facturus est agricolis istis?

Orig. hom. 19. Cum venerit paterfamilias, quid faciet colonis illis?

Syriacus n. 41. Vineamque elocabit aliis agricolis, illi quidem reddent ei fructus in tempore suo.

Citat. Origen. Vineam suam dabit aliis colonis.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 9. Quid ergo faciet dominus vineæ: veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis.

Luc. 20. n. 15. Quid ergo faciet illis Dominus vineæ?

Num. 16. Veniet, & perdet colonos illos, & dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi: absit.

EXPOSITIO IV.



Venerit Dominus vineæ. Cum exercitibus nempe suis, vt explicat Carthusianus. Quid faciet agricolis illis? Cum de beneficiis largiendis fuisset sermo, secum Dominus delibet, ac determinat, nouissime misit ad eos filium suum. Cum verò de supplicii inferendis agit, cum hominibus consultationem facit. Quid faciet agricolis illis? In beneficiis enim largiendis ipse sui est auctor, & prouocator: in penis verò infligendis ab homine prouocatur, & excitatur. Deinde ad magnum supplicium infligendum homines consulit, quorum ingenium est esse maxime perniciosum, ac crudele in homines. Quid faciet agricolis illis? Interrogat, vt ait D. Paschal. lib. 9. in Matth. Non quod ignoret, sed vt etiam ait D. Chrysofomus in Imperfecto homil. 40. Ita veritate Christi circumdantur homines, & tenentur, vt ipsi aduersus se iudices fiant. Vt hoc argumento agnoscant impij homines, quod ipsi aduersus semetipfos sententiam proferant, ac proprio ore damnentur.

68. Carthuf.

Beneficia à Deo: supplicia ab homine.

Paschal. Chrysof.

69. Beda. Rupertus. Carthuf.

Chrysof. Euthym. D. Thom.

Abulens. Syriacus.

cunt, absit, hoc est non ita fiet, seu vt habet Syriacus; non erit hoc.

70.

Et vineam suam locabit aliis agricolis, Apostolis nempe, eorumque successoribus, qui reddant fructus temporibus suis opportunis, ac statutis temporibus referant fructum fidei, spei, & charitatis; seu vt ait Hugo, fructum cordis, oris, & operis. Nempe cordis contritione; oris confessione; operis satisfactione. Locabit aliis agricolis, & hoc magnatibus magnum tormentum, vt se vident à sua dignitate priuatos, & in eorum munere alios introductos.

Hugo.

QUESTIO XI.

Quare mendaces Scribae tam veram sententiam contra se pronuntiant, Malos male perdet?

71. Chrysof.

RESPONDET primò D. Chrysofom. homil. 40. in Matth. Non sicut, ait, illorum, quod iuste iudicauerunt; sed ipsius causa. Est enim causa veritatis, que quasi violentiam illis facit, vt non possent ea celare; sicut sole in nubibus constituto, hoc, quod est dies, non est nubium permittentium eum apparere super terram; sed virtus solis, que transiens nubes, etiam impediens eis apparet. Vnde prouenit, quod Iudæi mendacio, ac falsitate pleni tam veram sententiam ore suo proferrent, hoc non ex ipsis, sed ex ipsa veritatis natura prouenit, quæ nullis valet impedimentis teneri, quin aliquando fulgeat, & luceat, vt sol nubium impedimento rumpit, vt in nostris oculis resfulgeat, & lux diei respicendat.

Mendaces etiam iniuri- ritatem fatentur.

72. Druthmar.

Secundò. Christianus Druthmarus, in commentario. Perdidit illos male, ait, quia faras, quæ nihil durius, que etiam obsessos compulsi humanis carnibus vesci, illos perdidit, & commendauit Christianis Doctoribus Ecclesiam suam. Caneant ergo Reges, & Episcopi istam damnationem agricolarum, ne forte & ipsi similia patientur, si bene non excoluerint vineam Domini, omnem turbam Christianorum. Per hos colonos interpretatur Sacerdotes, ac Ecclesiasticos Prælatos, qui constituti in officio colendi Dominicam vineam, si tamen eam non foueant, ac in necessariis prouideant, sed duritie, ac rusticitate morum, seuerità famis perdant, maloque suo exemplo corrumpant, in hanc agricolarum damnationem deuenient, malos male perdet. Maloque morte, malisque supplicii afficiuntur. Vnde Chrysofomus in Imperfecto homil. 40. explicans. Locauit eam agricolis: sic ait; Locutus est Dominus colonis tempore Moysi, quando per legem constituti sunt Sacerdotes, & Leuitæ, & procurrationem regendi populum susceperunt ad magnam suam gloriam, & magnum periculum. Expende vltima verba: ad magnam suam gloriam, & ad magnum periculum: Si recte se habuerint in suo munere, habebunt multam gloriam, si male, in manu damnationis periculum deuenient.

Magna pena Prælati; si non bene excolant Domini vineam.

Chrysof.

Tertio. Malos male perdet. Non exprimitur pena inferenda, vt grauissima supplicia metuant, & duriora metuant, quam forte eis sint inferenda. Præcipit Deus videnti Amos. 4. n. 1. Vt sic verba ad Israël faciat. Quapropter hæc faciã tibi Israël: postquam autem hæc fecero tibi preparare in occursum Dei tui Israël. Cur ita loqui iubetur Propheta tam obscure? Quid sibi vult. Hæc faciã tibi, & Syluena in Euang. Tom. IV.

73.

Amos 4.

itorum. Postquam hæc fecero? Cur non explicatur, quænam sint illa, quæ Deus fecit populo suo? Quænam concionis utilitas, si inutilis, & obscura profus maneat oratio. Ad quid subauditorum arbitrio pena in illos exercenda relinquitur? Vt ipsi ancipites inter suppliciorum minas, maxime torqueantur, & duriores penas metuant, quam ipse Deus forte inferet. Et ita cum audiunt, quapropter hæc faciã tibi. Maxime pertimescant, & quæ sunt grauiora, ac duriora cogantur expectare, ergo quædam fuit diuini supplicij ars, determinatum vindictæ genus non prodere, vt semper timore acerbissima pœnæ quaterentur, ac premerentur. Eleganter Rufinus. Quapropter, ait, hoc faciã tibi Israël. Hic locus ita accipiendus est, vt ex industria dicatur comminationis speciem fuisse celetam; quasi quidquid posset auditor atrocissimum suspicari, id crederet, fuisse promissum.

Gravissima pœna, quæ non declaratur, vt lempet acerbissima timeatur.

Rufinus.

Matth. 22. n. 42. Dicit illis Iesus: nunquã legistis in Scripturis lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Num. 43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnũ Dei. & dabitur genti facienti fructus eius.

VERSIONES.

Vatabl. in Psal. Lapis, quem reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli: quod quidem à Domino factum est, & nobis miraculum videtur. Et est miraculis, oculis nostris.

Pagnin. Et est miraculis, oculis nostris.

Aquil. ex Græco. Id paradoxum præter opinionem, ac ferè incredibile visum est nobis,

Syriac. n. 43. Propterea dico vobis: ablatum iri à vobis regnum Dei: & datum iri genti edituræ fructus.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 10. Idem habet, quoad verba Psal. mi.

Luc. 20. n. 17. Ille autem aspiciens eos, quid est hoc, quod scriptum est. Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli?

EXPOSITIO V.

DICIT illis Iesus: Nempe auditoribus illis. Numquam legistis in Scripturis. Id est hoc ipsum, quod ego dico, dicit Scriptura; An non Dauid in spiritu hoc ipsum se præuidisse testatur. Psal. 117. n. 21. Lapidem, quem reproba-

74.

XXx probant

Lucas.

probauerunt edificantes. Iudei audientes supplicium significatum in parabola ipsis intelligendum. *Malos male perdet.* Dixerunt iuxta D. Lucas, *absi.* Christus verò Dominus supplicium eis euentum confirmat, ex citato loco Psalmi. Conferatque se Dominus cum lapide, quem alicuius edificij structores, veluti inuilem, struuntque minime aptum, reprobauerunt, ac reiecerunt: qui tamen in alio excellentiore, ac pulchriore edificio in capite anguli, seu ut lapis capitalis collocatur. Sic Scribæ, Pharisei, ac Sacerdotes Iudeorum tanquam structores, ac Architecti Synagogæ, gentisque (Iudaicæ hos autem, quos supra vocauit agricolæ, nunc vocat edificatores, ut ait D. Hieronymus) Christum Dominum ut lapidem inutilem à se, ac gente sua reiecerunt, & damnando reprobauerunt, ac occiderunt; Hic tamen lapis à Iudeis reprobatus, præstantioris, ac excellentioris edificij; Ecclesiæ scilicet factus est caput. Factus est in capite anguli. Factusque est ut summus lapis angularis, ut loquitur Apostolus ad Ephes. 2. num. 20. & omnino ut lapis fundamentalis totius Ecclesiæ. 1. Corinth. 3. n. 11. **Vt** is summus lapis angularis, ac capitalis duos parietes gentium, & Iudeorum in se velut in angulo iungeret, ac copularer, in eadem Ecclesiæ domo, & struam. Ita D. Basilium, D. Chryostom. D. Augustin. Enthym. Cassiodor. Abulens. S. Thomas, Iansen. Maldonaz. & alij.

75.

Hieron. August. Beda. Alb. Magn. Ruperr.

Ideo dico vobis. Conclusio totius parabole est, qua significat Dominus vineam à Iudeis esse auferendam, gentibusque dandam. *Auferetur à vobis regnum Dei.* D. Hieronymus per regnum intelligit sacram Scripturam. Tamen communiter Patres, D. Augustinus, Beda, Albertus Magnus, Rupertus veram Dei Ecclesiam, in ea regnat Deus in fidelibus per fidem, ac gratiam, eoque ducit ad ecclesie regnum, ut in eis per gloriam regnet; & ait: *auferetur à vobis;* adhuc iudex regnum non aufert, sed minatur locum faciens penitentiæ. Vide cap. 21. n. 75. 76. & cap. 28. n. 37.

76.

Origenes.

Dabitur genti. Rectè ponderat Origenes homil. 19. in Matth. quod cum de Iudeis fuisset sermo. Dicitur. *Locauit eam;* tradidit nempe vineam ad certum tempus sub conditione excolendi eam, & ideo locauit eam Iudeis, nouerat Dominus eorum sterile ingenium, à quibus ob ingratitude non citò vinea erat auferenda; ac de gentibus dicitur. *Dabitur genti,* ut nunquam ab ea auferenda, sciebat enim perennem, ac perenniter vineam esse excolendam, magnosque fructus ab ipsa gente prouenturos. *Dabitur genti,* non gentibus, quia etsi multæ sint nationes, omnes tamen sic coadunantur in Ecclesia, ut sit vna gens. *Dabitur genti.* Quod dicitur ad magnum tormentum Iudeorum, ut aliena felicitate torqueantur; cum viderent regnum Dei à suis ereptum, & gentibus datum; deinde hoc est ad magnum documentum gentibus, ut in alieno capite videant, quo cauere debeant, ut non desideret, sed vineæ agriculturæ incumbant. D. Zeno lib. 2. serm. 24. *Gaudete fratres ait, quod alienis plagis Dei discitis disciplinam.*

QVÆSTIO XII.

Quare non exprimitur à quo regnum Dei sit ab eis auferendum?

77.

Difficultas questionis.

RESPONDITUR. Christus in presenti. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Quando fuit sermo de planta-

tione dicitur. *Paterfamilias plantauit vineam, & sepem circumdedit, fodit roscular, & edificauit turrim.* At verò cum de supplicio inferendo est sermo; dicitur: *auferetur à vobis regnum Dei.* Cur ergo sicut Paterfamilias introducit extruens vineam suam omnibus præparamentis necessariis; cur etiam non dicitur, quod etiam ob malam agriculturam, ob malitiam, ac sæuitiam inhabitantium, vineam suam auferet ab eis?

78.

Dei largitur beneficia, homo verò sibi comparas supplicia.

Respondeo, quod quando de donis, ac beneficiis est sermo, ipse Dominus, ut eorum auctor, ac largitor clarè, & distinctè se manifestat, tanquam in te valde sua, at verò cum de peccatorum punitione agitur, *auferetur à vobis regnum Dei.* Persona Paterfamilias non declaratur, ut denotetur, quasi quod ipsa punitio sit opus alienum ab eo, & quod non tam ab ipso, quam potius ab eorum peccatis, ac nequitia proueniat, & nascatur: quod ex ipsamet parabola confirmo. Quando bonus paterfamilias plantauit vineam, nullum interrogat, cum nulloque facit consultationem, totum illud opus à sua benignitate manabat; at verò cum ex præscripto iustitiæ ad damnandos agricolæ deuenitur; Dominus circumstantes interrogat. *Cum ergo Dominus vineæ venerit, quid faciet agricolis illis?* In damnatione promulganda benignissimus Dominus sententiam subtrahit, atque illismet proferendam commisit, ut argumentum cunctis esset, non à Domino, sed à seipsis damnari. D. Paschal. lib. 9. in Matth. Interrogat, ait, *eos Dominus, non quod ignoret, quid responderi sint, sed ut ipsi propria responsione damnentur.*

Paschal.

79.

Roma. 2.

Ait Paulus Rom. 2. n. 6. *Qui reddet unicuique secundum opera eius, his quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem: ipsi autem, qui sunt ex contentione, & qui non quiescunt veritati: credunt autem iniquitati, ira & indignatio.* Cum de gloria, ac præmio est sermo, exprimit Apostolus; quod Dominus reddet unicuique secundum opera eius. Cum verò de pœna ait: *ira, & indignatio,* à quo sit infligenda subtrahitur. Quid est, quod magnus gentium Doctor, à legibus grammaticis apertè defleatere videatur; cum in nominatio casu ponatur: *ira, & indignatio?* Nam sicut dixerat gloriam, & honorem in accusatio, ita & in eodem casu iram, & indignationem scribendam esse astrict. Grammaticus. Artificiosa sagacitate Apostolus voluit deuorare regulas syntaxis, ut ostenderet proprium, ac naturale Dei esse æterna præmia, vitamque beatam largiri; non verò excandescere, & pœnis afficere: ideo cum de gloria, ac honore est sermo, ipsum Dominum, tanquam suam propriam personam agentem clarè, & distinctè enunciat. Dum autem de peccatorum punitione agitur, alia iræ exercendæ subintroducitur persona, ac si quodammodo id ad Deum nõ spectet, & ut significetur, quod huiusmodi pœnæ castigatio potius ab ipsis hominibus, quam à Deo proueniat. Photius apud Oecumenium. *Considera, ait, quod dicit bona quidem reddet, & ultionem verò non reddet, sed illa reddetur, & ne hoc quidem expresse dixit, sed subintelligendum relinquit. sciens ei proprium esse quod iustum est saluare; porro ulcisci, ac punire prouenit à peccatorum obduratione, quod patiunt, ac conuertri nolunt.* Vide supra cap. 15. num. 26. & cap. 16. num. 28. & cap. 28. num. 38.

Photius.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

Quare ad plantandam vineam multa referuntur, ad destruendum verò vnum tantum verbum proponitur?

80.

Beda. Carthuf.

Iosephus.

81.

Exod. 14.

82.

4. Reg. 1.

3. Reg. 17.

QUOD V M de extructione vineæ agitur, quatuor assignantur in textu, & vnumquodque largam operationem dicit. Scribitur: *Quod Paterfamilias plantauit vineam. Quod multum sudorem importat. Secundo sepem circumdedit. Quod magnam fatigationem cum longa operatione denotat. Tertio. Fodit in ea roscular.* Quod cum magno labore fit. Quarto: *edificauit turrim.* Quod opus præter multum laborem multos etiam operarios, artifices, architectos requirit, ecce tantus labor impensus ut via plantaretur, ac ut agricolis locaretur; At verò ut ipsi à vinea expellantur. Vnum tantum verbum ponitur, *auferetur à vobis,* sicut ad agricolæ reducendos, ut fructus redderent, per longum temporis spatium misit seruos suos: ut explicant Beda, & Carthusian. Moysen, Aaronem, ac alios Prophetas, & Patriarchas per tot millia annorum, at verò ad ipsos agricolæ puniendos, & occidendos trium dierum spatium Titus, & Vespasianus circumvallauerunt ciuitatem Ierusalem, ut testatur Iosephus lib. 6. cap. 7. & 13. & breuissimo tempore omnes peremerunt. Ad plantandum, ac edificandum multa requiruntur, ad destruendum, ac deinandum pauca exiguntur: ad bonum, ac felicitatem multo molimine opus, ad malum, ac sinistram euentum parua, ac minima sufficiunt.

Cum filij Israël essent conclusi inter mare rubrum, ac Pharaonis exercitum, insequentis eos, ut haberet iter per medium maris, ac ut aquæ eis diuiderentur; factum est. *Flante vento vehementi, & vrente tota nocte.* Exod. 14. n. 21. At ut aquæ reuertentur ad locum suum, quo subuersus est Phara cum curribus suis, ad hoc Moyses manum eleuauit. *Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluulo ad priorum locum: fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Ibidem. Quid est, quod ut aquæ diuidantur iter præbentes Israël, adducitur à Domino ventus vehemens, & vrens tota nocte; At verò ut aquæ in pristinum locum vniantur, ut omnes Aegyptij suffocati in profundum maris descendant, vna tantum ponitur manus Moysis eleuatio? Diuisio maris magnam felicitatem præbebat Hebræis, coniunctio verò aquarum sinistram, ac funebrem euentum importabat Aegyptiis, inde ad illud multa & vehementia requiruntur, ad hoc verò parua, & leuia sufficiunt: felicitas, tota nocte consumpta, venit Hebræis ad transitum maris, aduersitas verò, ut in aquis sepeliuntur Aegyptij vno momento ruit.

Venit quinquagenarius ad Parentem Eliam. **Homicidæ Rex præcepit, ut descenderet.** Quo audito respondit Elias quinquagenario. *Si homo Dei sum, descendat ignis de calo, & deuoret te, & quinquaginta tuos: Descendit itaque ignis de celo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* 4. Reg. 1. n. 10. Confer hæc cum illis, quæ eidem magno Eliæ acciderunt, cum filio viduæ, qui cum esset demortuus, tulit eum Elias de sinu matris suæ, & portauit eum in suum cubiculum, & posuit eum super lectulam suam. *Et expandit se, atque reuertens super lectulam suam.* Et expandit se, atque reuertens

super lectulam suam tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Dominus Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. 3. Reg. 17. num. 21. Bene notat, & probat ibi Abulensis. quæst. 31. *Quod ibi fuerunt tres extensiones cum tribus orationibus.* Grandis difficultas suboritur in presenti; qualis sanè potestatis est, ignem de celo deducere, ac vitam dare puero? Elias vno verbo facit ignem de celo descendere ad deuorandum quinquaginta milites cum suo duce, semel, & iterum. *Descendat ignis de calo.* At verò ad reuocandam animam in puero necessaria sunt multa verba, orationes, ac extensiones Prophetæ, quibus se commensurauit, ac proportionauit cum puero per spatium fere trium horarum, ut multi volunt Rabbinii. Vnde tanta differentia? Ut quinquaginta cum suo duce flammis comburantur, ac in cineres redigantur, vnum sufficit verbum Prophetæ; At verò ut felicissimum vitæ respiraculum vni tantum puero concedatur, multa verba, multiplicataque orationes, instantiæ, ac extensiones Prophetæ requiruntur; nam prima, & secunda oratione, prima, & secunda instantia, anima è vinculis mortis non soluitur; adhibenda ergo fuit tertia oratio, tertiæque instantia, ut puer resurgat in vitam, nam si vita ut maximè grata lento pede accedit, ignis celeri volatu descendit, ut tristem mortem inferat multis.

Abulens.

Lento pede venit vita, celeriter ignis ut consumat.

QVÆSTIO XIV.

Quare quæ prius dicitur vinea, nunc verò regnum Dei nuncupatur?

IN principio huius parabole, cum eam proponit Scribis sæpe mentionem facit de vinea. *Paterfamilias plantauit vineam. iterum, Cum venerit Dominus vineæ.* Deinde, *Vineam suam locabit aliis agricolis.* At verò modò regnum Dei nuncupatur. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Si vinea est, quomodo regnum dicitur?

83.

Difficultas questionis.

Respondeo quod lex Dei, obseruatioque mandatorum eius non amanti vinea quædam est, in qua desudatur, ac multum laboratur, at vero diligenti ipsamet lex regnum est, requies, gaudium, ac lætitia: ipse enim amor omnia reddit leuia, plana, ac facilia. Cum locatur Iudeis duris, & obstinatis vinea eis erat ad laborem, ac fatigationem; cum verò datur genti feruenter amanti regnum Dei apparet, ubi requiescit, lætatur, ac epulatur.

84.

Non amanti difficultas, diligenti sua leuia.

Ad Christum Dominum loquitur Sponsa dicens: *Fasciculus myrrhe dulcissimus meus mihi.* Cant. 1. n. 13. At verò alio loco ait: *Uadam ad montem myrrhe.* Cantic. 4. n. 6. per myrrham mortem, ac mortificationem intelligi constans est Patrum sententia, quid est, quod ipsum appellat, fasciculum, deinde montem? Diuersitatem ostendit particula mihi: nam etsi aliis arduus, ac laboriosus ut mons in ascensu suo. Mihi verò qui eius amore vulnerata sum, sic suavis, ac præiucundus, ut fasciculus. D. Bernardus serm. 43. in Cantic. sic ponderat. *Non ait, tantum fasciculus myrrhe dilectus meus, sed mihi, inquit, que diligo, fasciculus est. Vnde & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, quia fortis est ut mors dilectio.*

85.

Cant. c. 1. Cantic. 4.

Amor facit facilia, & leuia.

Bernard.